

Urkundenbuch der Abtei Sanct Gallen (Ed. Wartmann) Nr. 498

Christi opitulante clementia Grimaldus abba monasterii sancti Galli. Convenit ut easdem res, quas nobis Samuhel et eius coniunx Wioldrud tradiderunt, id est in Pettenwilare, cum omnibus ad eum locum pertinentibus ea scilicet ratione, ut ipse et coniunx eius easdem res ad se recipiant censumque annis singulis persolvant, id est solidum I. Si autem ille redimere easdem res voluerit, cum uno solido redimat; si autem coniunx eius Wioldrud eum supervixerit et ille ante easdem res non redemerit, tunc ipsa cum I solido redimendi licentiam habeat; si vero neuter illorum iam dictas res non redemerint et eis Deus legitimum heredem dederit, tunc et ipse predictas res similiter redimendi licentiam habeat; si autem nec ipsi nec heredes eorum legitimi iam prefatas res non redemerint, tunc post obitum illorum omnium omnia ex integro ad ius monasterii absque ullius contradictione redeant perpetualiter possidendae. Actum Signum ipsius Grimaldi abbatis et advocati sui Kerichonis, qui hanc precariam fieri iusserunt. † Hartmoti decani. † Wolfcozi prepositi. † Erleboldi portarii. † Cotaberti cellerarii. † Waltarii sacratarii. † Irfingi hospitarii. † Hartmanni camerarii. † et aliorum testium. † Wolvolt. † Witigo. † Alpker. † Ruadker. † Wito. † Erimpret. † Wolfpret. † Fridubret. † Lantpret. † Wielant. † Engilwart et aliorum multorum, qui prenotati sunt in carta. Ego Notavi anno XXIII regni Hludowici, sub Cozperto comite.